77

1475 9 7 66

Cremona

In Nomine domini Amen

Anno a Nati-
vitate eiusdem domini millesimo quadringentesimo septuagesimo quinto indictione octava die
vero lune vicesima mensis februarii pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini
sixti divina providencia pape quarti anno quarto in mei notarii publici testiumque in-
frascriptorum ad hoc specialiter vocatorum et rogatorum presencia personaliter constitutus de-
venerabilis vir dominus Jacobus Crottus decretorum doctor presbiter Cremonensis reverendi in Christo patris
et domini domini Johannis [illegible] de Butigellis dei et apostolice sedis gracia episcopi Cremonensis procurator
prout de sue procuracionis mandato michi notario publico infrascripto quodam instrumento
publico signo et subscriptione discreti viri magistri Andree de Multedenariis civis Cremonensis
publici imperiali auctoritate notarii signatis et subscriptis ac sigillo dicti domini episcopi Cremonensis sigillatis
legitime fecit fidem asserens a prefato domino Johanne Stephano de Butigellis episcopo Cremonensi
principali suo inter cetera habere in mandatis quod cum ipse episcopus Cremonensis principalis
suus propter graves et multiplices curas et occupacionem ac infirmitates personaliter limina
apostolorum Petri et Pauli prout tenetur et debet visitare non possit neque valeat ipsum
Jacobum Crottus in procuratorem suum specialiter et expresse ad visitandum pro ipso domino
Johanne Stephano episcopo Cremonensi et eius vice ac nomine predicta limina sanctorum Petri et
Pauli apostolorum pro annis domini millesimo quadringentesimo septuagesimo quinto ac millesimo
quadringentesimo septuagesimo sexto proxime futuris constituisset ipse dominus Jacobus Crottus
procurator predictus nomine quo supra procuratorio pro prefato domino Johanne Stephano
episcopo Cremonensi principali suo prefata limina apostolorum Petri et Pauli apostolorum visitare volens
et pro eodem episcopo satisfacere iuxta mandatum sibi desuper factum pro prefatis annis domini mil-
lesimo quadringentesimo septuagesimo quinto ac millesimo quadringentesimo septuagesimo sexto
proxime futuris predictis limina sanctorum Petri et Pauli in ecclesia sancti Petri visitavit et
ibidem ante reliquias sanctorum Petri et Pauli oraciones et preces suas pro eodem domino Jo-
hanne Stephano episcopo Cremonensi effudit aliasque et alia fecit prout in prenominati mandati vigore
habuit a dicto domino Johanne Stephano episcopo Cremonensi principali suo in mandatis de et super
quibus omnibus et singulis premissis prefatus dominus Jacobus Crottus procurator nomine quo
supra procuratorio sibi a me notario publico infrascripto unum vel plura publicum seu
publica fieri atque confici petiit instrumentum et instrumenta acta fuerunt hec Rome in ecclesia sancti Petri
ante reliquias sanctorum Petri et Pauli apostolorum sub anno indictione die mense et pontificatu quibus
supra presentibus ibidem honorabilibus viris dominis Eusebio de Chocharellis presbitero vercellensi
et Johanne Reyneri de Wamel clerico Colonensi diocesis testibus ad premissa vocatis specialiter
atque rogatis





Et ego Johannes kerchorde de Tremonia cle-
ricus Colonensis diocesis publicus imperiali auctoritate
notarius quia predictis visitacionibus omnibusque
aliis et singulis premissis dum sic ut premittitur
agerentur et fierent unacum prenominatis testibus
presens interfui eaque omnia et singula sic fieri vidi
et audivi ideo hoc presens publicum instrumentum manu
propria scriptum exinde confeci subscripsi publicam
et in hanc publicam formam redegi signoque et
nomine meis solitis et consuetis signavi rogatus
et requisitus in fidem et testimonium omnium et
singulorum premissorum

Universitäts- u. Landesbibliothek Halle/S.

Morbio 7 (77)

x-rite colorchecker CLASSIC



Universitäts- u. Landesbibliothek Halle/S.
Morbio 7 (77)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1801862621-16/fragment/page=0003